

Lto. 70.



D. CHRIST. AVG. CRVSI

13.

GNOMON

AD

PROPHETIAM

DE

SUCCESSV OPERIS DEI

PER CHRISTVM

PRIMO HVMIILIATVM, DEINDE

EXALTATVM

IES. LII 13 — LX. FIN.

PROGRAMMA PROPOSITVM IN ACAD. LIPS.

FESTO RESVRRECTIONIS DOMINI

CIOICCLXXIII.

LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



Quum intellexerimus, gratum multis fuisse, quod gnomonem ad prophetiam de Immanuele Ies. VII. XII nuper dedimus, quum celebrandam natiuitatis Domini memoriam indiceremus, quippe qui textus ad scopum festi illius proxime pertinebat: sequemur iam quoque simile institutum, dum memoriam resurrectionis Domini a mortuis, id est, secutae post humiliationem exaltationis, commendamus, et ad prophetiam Iesaiæ vberriam, quae Cap. LII. 13 — LX. fin. de isto argumento agit, gnomonem ponamus, cuius ope boni et seduli Christiani, dummodo relegant textum, clare percipere queant, quam recte textus illius particulæ in libris noui Testamenti de Christo allegentur, iisque adiutores simus, vt suam fidem verbo Dei prophetico, quod post aduentum Christi certius et confirmatius habemus, sapienter superstruere, atque etiam ex prophetiis Scripturae eandem de futuris prudenter instruere possint.

Liber Iesaiæ tribus partibus constat, quarum prima prophetica est, sed prophetias varii generis continet, Cap. I — XXXVI. secunda historica est C. XXXVII — XXXIX. tertia rursus mere prophetica, sed vnice prophetias de regno Dei, quod in Christo est, complexa, C. XL — LXVI. Atque in prima parte lector attentus non potest non obseruare, prophetias secundum temporis ordinem locatas esse. Nam quum Propheta, testante libri inscriptione C. I. 1. munus suum gesserit sub quatuor regibus, coeperitque sub Ozia, notatur prophetia accepta, quum illi succederet Iothamus Cap. VI. 1. tum, quas porro accepit, prophetiae regnante Achazo distinguuntur C. VII. 1. pariterque, quae secutae sunt, quum illi succederet Hiskias, C. XIV. 28. Tunc subiungitur pars historica, quae narrat, quomodo, quae Iesaias in antecedentibus de clade Assyriorum praedixerat, regnante Hiskia vere euenierint, sed quali castigatione quoque gliscens regis elatio repressa et in ordinem redacta sit. Quare nemini aliud quidpiam in mentem venire potuerit, quam partem libri propheticam alteram C. XL — LXVI. complecti vaticinia Iesaiæ vltimo tempore et proxime ante eius decessum data, historicam vero partem ob hoc ipsum interiectam esse, vt haec a prius acceptis discernentur. In quo etiam obseruatu iucundum est, quanta auctoritate κατ' ἀνθρώπων senex Iesaias, et post visum euentum praedictionis in Sennacheribo, qui similem non habuit, de causa Christi et de euentis remotissimorum temporum effari potuerit. Sunt enim ab anno primo Iothami ad decimum quartum Hiskiae, quo clades Assyriorum euenit, anni quadraginta sex, per quos Iesaias vt Propheta clauerat,

ruerat, et euen tu rerum praedictarum spectatus fuerat. Sed idem iam sub Ozia prophetauit, nescimus ex quo tempore. Sed quidquid sumas, aetate admodum prouectus fuit, quum vltima vaticinia post cladem Assyrii publicaret. Finge, quum vocaretur, illum quadraginta annos natum fuisse, nam Prophetiae non solebant iuuenes vocari, et tribue illi sub Ozia duntaxat munus quatuor vel decem annorum, habebis vel nagenarium vel vltcrius prouectum aetate, quando accepit prophetiam, ad cuius intelligentiam nunc gnomonem dare studebimus.

Est vero distinctio et dispositio sermonum, quibus pars altera prophetiarum Iesaiæ, libri vero tertia, constat, vnice e textu ipso intelligenda, quoniam nec inscriptionibus nec aliis subsidiis ea in re adiuuatur. Nominatim necesse ducimus obseruare, ne Vitringam quidem, qui alias excellit inter interpretes Iesaiæ, in discernendis his sermonibus vbiuis sequi fas esse; nam arbitriarías nonnunquam et male fundatas hypotheses secutus est, et vniuerse minus in commentario in alteram hanc prophetiae Iesaiæ partem praestitit, quam in explicanda priore. Sed, age, ad rem ipsam accedamus.

Extat Ies. LII. 13 — LX. fin. sermo continuus, cuius continuitas vnicuique probabilis erit, si initium et finem inter se inuicem comparauerit, agit autem *de successu operis Dei per Christum, primo humiliatum, deinde exaltatum*. Quam ob causam loquens inducitur Deus ab initio: *Ecce, seruus meus rem prospere peraget, et summe exaltabitur*, et in fine: *ego Iehoua vnamquamque rem suo tempore celeriter praestabo*. Sed quamquam sic initium et finis sermonis, quem ponimus, accurate sibi respondeant, atque eatenus rem obscuram nemini putemus; est tamen aliud obseruandum, quod difficiles explicatus habere videtur, videlicet quomodo vniuersa, quae inter vtrumque terminum in textu posita reperiuntur, ad vnum hunc scopum collineent, apteque dispositum et cohaerentem sermonem efficiant. Videbitur enim Propheta nonnunquam sui temporis vitia reprehendere, ideoque textum, quem putamus vnum sermonem continuum esse, plerique statim habebunt pro congerie, in qua plures diuersaeque occasionis et indolis sermones obuii sint, qui pro vno cohaerente textu perperam habeantur. Quae res magni momenti est. Nam nisi ponatur hic textus esse vnus sermo, eoque, quem explicabimus, modo cohaerens et continuus; allegationes particularum eius in nouo Testamento laborabunt, et vel perperam pro accommodationibus, et, vt nunc deceptores aliqui fantur, pro oeconomicis dictis, habebuntur, vel difficultatibus nequaquam necessariis implicabuntur. Quo fit, vt frequenter ecclesiae, quando super pericopis talibus ad populum dicendum est, haereant, nescientes, vbi

pedem firmiter figant, sensumque textus verum vel non assequantur, vanasque sectentur allegorias, et spirituales, quas opinantur, nempe improprias, interpretationes, vel missò neglectoque prorsus sensu textus literalì, vnicè tractent locos communes, qui in se possunt perquam boni esse, sed in animo audientis indignationem relinquunt, quòd textus non explicetur, quem boni Christiani cupidique intelligentiæ verbi diuini indices rectius et plenius perspicere volunt, simulque contra ecclesiasten alunt suspicionem, quasi in sacris literis non sufficienter versatus sit, quæ suspicio dein latius serpit, facitque, vt fortasse ne in dogmaticis quidem debita fides illi adhibeatur.

Exhibebimus igitur statim typum sermonis Iesaiæ, quomodo ordine dispositus sit. Sunt tamen quaedam *praemonenda*, quæ sua radiant luce, sed quæ forsân cuilibet in mentem non statim venerint. 1) Quando improprie dicitur, quod in omni sermonis genere vtitissimum est, prophetiis autem ex pluribus causis conuenit; *tropi et metaphoræ non minus ex cultu diuino et politico*, qualis tunc erat, quam ex regno naturæ et vita communi repeti possunt. 2) *Israel secundum carnem dictus*, scilicet progenies Iacobi, *populus Deo sacratus fuit*, et promissiones de Christo et regno Dei habuit, *veruntamen non carne censetur*, sed fide et obtemperacione verbo diuino, *accepturus autem erat possessionem gentium*, nimirum gentes possidendas et secum concorporandas foriturus erat, ita vt gentiles, fidei Israeliticæ participes, in communionem omnium Israelis Dei bonorum venient, et cum Israelitis vris vna Dei ecclesia, vnus grex sub vno pastore Christo, essent. 3) *In praedictione rerum bonarum et malarum, quæ Israeli euentient, ad utrumque attendendum est, quid de Israele secundum carnem dicto praedicatur*, scilicet quid de bona vel mala gentis parte. Bona enim pars gentium accessione, per τὰ ἔθνη σώσῃμα καὶ συγγληρόνῃμα, est immense amplianda, mala vero pars diuersis temporibus diuersimodè tractanda, vt nec impunita maneat impietas et perfidia improborum, nec de promissis diuinis quidquam euentu careat, sed omnia praestentur, quæque simul stare nequeunt, aliud post aliud sequantur. In textu quidem propter συνάφειαν non difficulter animaduertitur, qua de re agatur, dummodo ne quis adfectet coactè interpretari.

Nunc typum et sciagraphiam sermonis integri ita accipe. Initio proponitur summa dicendorum, Ies. LII. 13 — 15. quæ est *successus operis Dei per Christum, primo humiliatum, deinceps exaltatum*. Postea per partes agitur primum de Christo ipso, quomodo illi patiendum et quomodo exaltandum sit Cap. LIII. deinde de *successu euangelii et amplianda ecclesia per accessionem gentium* Cap. LIV. LV. tunc de *impedimentis*, quibus fit,

ut non omnia, quae fieri oportet, simul et proximo tempore consequantur, utque, quamdiu illa obtinent, totum *επιτελεσµα* glorificandi regni Dei in terra nondum sequatur, sed et quomodo tollenda sint, et gloria populo Christi decreta certo secutura sit, Cap. LVI — LIX. Denique subiungitur *pathetica conclusio*, quae per *patheticam recapitulationem omnia simul contemplananda sistit*, quin etiam gloriam futuri seculi, ut cohaerentem cum gloria Dei in terra demonstrata et totius amplissimi infirmitati infinitam consummationem, ostendit, Cap. LX. Iam quidem in singulas partes commentari huius loci non est, nec infra paucas paginas id fieri permetteret rei natura. Attamen operam dabimus, ut de membris, quae commemorauimus, singulis seorsum breuiter obseruemus, quantum aequo lectori, qui textum in manus sumat, relegat, et nostram scripturuncula contendat, ad intelligendum, certe ad rem summam peruidendam, sufficere possit.

Diximus, in initio prophetiae statim generali propositione comprehendendi, quae per totum sermonem explanatius definiuntur, praedictaeque ab initio summam sermonis clausulam in fine accurate respondere. Sic enim loquens Iehoua, Pater Domini nostri, Iesu Christi, qui Filium suum, in acta humiliationis ad seruitutem et supplicium seruile, vocat seruum suum, inducitur C. LII. 13 — 15. *Rece prospere perficiet seruus meus, offeretur et excolletur et altus erit valde. Quemadmodum obstupuerunt super te multi; ita corruptior quam quisquam aspectu is fuit, et pulchra eius forma corruptior quam forma filiorum Adami: sic asperget (consecrabit) Ex. XXIV. 8. et purgabit Leuit. XVI. 16.) nationes multas; obturabunt reges os suum; nam quibus nihil narratum fuerat, intuentur, et qui non audierant, intelligunt.* (Rom. XV. 21.)

Iam I. super Christum ipsum praedicuntur *passiones et glorificatio post-hac*, non Sublimi dictione Propheta vtitur, remque proponendam vario orationis schemate veluti oculis cernendam sistit, estque in mutato sermonis schemate decorum singulare animaduertendum, ut loquens quisque digne inducatur, quodque apte quisquam dicere non posset, ad illud enuntiandum alia dignaque persona loquens inducatur. Incipit chorus *doctorum, querentium*, quod fides habita non fuerit rebus, quas audiendas proposuerint, nec animus hominum attentus fuerit ad poenitentem agentem Deum, v. 1. Tunc sero *resipiscentes et poenitentes inducuntur*, qui ex post facto agnoscunt errorem suum, causas erroris commemorant, errorem grauissimum farentur, multo iam aliter de illo sentientes, quem antea exploserant, v. 2 — 7. Immo vero quemadmodum *surculus sibi relictus exereuit, et sicuti radix de terra arida. In forma eius nihil praecipuum erat, decus nullum; et speda senuus illum, sed non erat spe-*

*Stabilis, ut eum appetereamus. Contentus erat, et vir miser, vir dolorum, et qui innotuit infirmitate; et quasi eiusmodi quid, quod omnium oculos a se auertit, vno verbo, contentus erat, et nullam eius rationem habuimus. At profecto infirmitatem nostram ille sustulit, quinimmo dolores nostros bauiulauit ipse: sed nos reputauimus illum ut percussum ob incognitam causam, ut percussum Dei, qui, etsi nil flagitii in eo fuerat, imperuestigabili Dei iudicio ad atrocissima mala traditus sit, et humiliatum. Sed ille confossus est propter delicta nostra, contritus propter peccata nostra: poena pacis nostrae super illo fuit, et vibice eius sanatio nobis contigit. Nos omnes errauimus instar gregis ouium, quisque spectauit viam suam, sed Iehoua incurrere in illum fecit (luporum instar) peccatum nostrum omnium. Exigebatur, (nempe debitum, quod persoluendum aut pro quo luendum erat) et ille humiliatus est, sed non aperuit os suum; quemadmodum agnus ad mactandum ductus est, et sicuti ovis, quae coram tonsoribus suis obmutescit: et vno verbo quam patienter passus est! non aperuit os suum! Conf. Matth. VIII. 17. 1 Pet. II. 24, 25. Act. VIII. 32. Haecenus sermocinatio poenitentium, quales fuerunt, qui, conuicti erroris per Apostolos, reuera eum in modum peccata fassi sunt, et pro acquirenda remissione baptismum in nomen Iesu, quod is Christus et auctor salutis sit, promte susceperunt Act. II. 37.*

*Sed decreta de Christo ipso promulgare solius Dei est, qui propterea nunc rursus loquens inducitur v. 8 — 12. Ex anxietate et e iudicio sumtus est (Nempe quum vires Christi hominis exhaustae et ad incitas redactae essent, ipseque se haecenus desertum a Deo significasset, ideoque in eo esset, vt vi supplicii consueto more extingueretur, et praeterea aliud iudicium traditionis ad infernum per incurtionem satanae illi intenderetur; honorifice vt Filius Dei e medio sublatus est. Quodque non ad infernum abeat anima eius, sed ad paradysum, quemadmodum ante sex fere horas petenti malefico dixerat, et promiserat, quod illuc secum euecturus sit, luculenter innotuit, quoniam Christus ipse denuo roboratus declarauit finem passionis, τετέλεσται, et statim alta voce, Deum Patrem appellans, ideoque vt Filius Dei, non iam defectu virium, quo alioquin crucifixi tandem expirant, sed quia iam volebat, vitam posuit, docuitque, se potestatem vitae suae ponendae et recipiendae ipsummet habere Io. X. 13.) sed aetatem eius (ἡ ἡλικία ἡ ἐπιεικής, quae vox hoc loco non satis perfecte verti potest, pluraque complectitur, quam breuiter exponi queunt, non modo durationem vitae Christi, sed etiam omnes, quos agnoscis suos, et rationem verifandi inter hos et cum illis idque sine fine) quis cogitando affectus fuerit? Sed tale quid illi decreui, quoniam excisus est de terra viuentium propter*



propter peccatum populi mei, propter plagam, quae illis debebatur. Et dabitur quidem cum flagitiosis sepultura eius, sed cum diuine erit in morte eius horrenda (ebr. in mortibus eius); propterea quod violentiam nullam fecit (hoc crimen fingebant inimici Christi coram Pilato) et non fuit dolus in ore eius (vt putabant, qui eum accusabant, quod suo ausu contra veritatem se profiteretur Christum, seque vt Filium Dei Deo aequipararet). Sed Iehoua, volens illum conterere, infirmum fecit, quando vt sacrificium pro reatu posuerit animam suam, videbit progeniem (et tunc demum) dies in longum protendet: et beneplacitum Iehouae per manum eius prospere succedet. Post laborem animae suae delectabitur, satiabitur. Per sui notitiam iustificabit iustus, seruus meus, multos, siquidem peccata illorum ipse baiulat. Propterea tribuam illi multos, et robustos dispertiet pro praeda, congrue illi, quod profudit ad mortem animam suam, et cum delinquentibus connumeratus est, et ipse peccatum multorum suscipit, et pro peccatoribus intercedet. Conf. Phil. II. 7—11. Marc. XV. 28. Luc. XXII. 37.

Sequitur II. praedictio de successu Euangelii C. LIV. LV. Notetur, quod perpetuo pergat fermocinatio loquentis Dei, qui Christum in negotio passionis seruum suum dixerat, a qua denominatione tamen nunc abstinetur, quia altera pars summae dicendorum C. LII. 13. scilicet exaltatio Christi, describitur, quae in eo ponitur, quod habeat, qui eum agnoscant, quos ipse saluet et glorificet, quodque ecclesiam suam eo vsque ampliet et ornet, vt promissionibus omnibus satisfiat. Quare duo haec capita exponunt et dilucidant, quod C. LIII. 10—12. summam indicatum est. Sermo ipse dupliciter incedit, et primo explicatur, quae bona ecclesiae decreta sint C. LIV. idemque C. LV. transfertur ad exhortationem, vt homines beneficia diuina libenter digneque acceptent et teneant.

Est igitur I) praedictio successus Euangelii de Christo, attamen inter passiones, v. 1—10. et propter scandalum, quod ex passionibus existere potest, praefertim quando ingrauescunt, vberius solatium adhibetur. Persona ad quam sermo dirigitur, C. LIV. 1—3. animo concipienda est, vt Paulus interpretatur Gal. IV. 27. Nimirum de vera Abrahami prole, ad quam promissio et foedus Dei pertinet, dicitur, quaeque non carne censetur et sola natiuitate, quod genus ab Abrahamo ducat, quo sensu etiam Ismael, humano consilio ex Hagare progenitus, proles Abrahami est, sed praecise secundum verbum foederis diuini, et ex fide et obsequio erga hoc Dei verbum aestimatur, ad quod significandum proles Abrahami benedicta vnice erat, quae e Sara procreata fuit, nempe Isaacus. Qui antequam nasceretur, nam miraculo demum et a parentibus miraculose restitutus et reiuuenescens genitus est, Sara videri debebat sterilis sine spe, et coacta maritum suum seruae cedere, vt aliquo modo pot-

poriretur natis, quos suos appellare posset, et in quibus benedictio di-  
 uina, quae progeniei Abrahami praedicta erat, vere euangere posset.  
 Quam ob causam quoque curauit, ut Abrahamus filium e serua Sarae  
 susciperet, qui naturaliter eius progenies esset, et aliquo modo ad Sa-  
 ram quoque pertineret iure domini in seruam suam. Non fortuito  
 hoc ita accidit, sed quia Deus permittendis talibus rebus mysteria de  
 futuris praenotare voluit, suntque, ut Paulus ait, ἀλλυγοῦμενα Gal.  
 IV. 24. Ismael deinde, etsi natura filius, e domo patris expulsus est,  
 postquam Sara Isaacum acceperat. Putauerat illa, Abrahamo non alios  
 fore filios, nisi qui de conditione seruili sint; mancipia nempe secun-  
 dum matres censentur, et e serua nati sunt serui. Sed postquam libera  
 ipsa filium liberum enixa erat, expulsus et a iure expediandi, quod  
 Isaac erat, exclusus est Ismael. Mysterium, quod in ea re praeno-  
 tatur, est, quod oeconomia Dei duplex futura erat, altera ante ad-  
 uentum Christi, de progenie Abrahami, in qua fideles filii Dei tamen  
 seruili uiuere conditione, nempe sub paedogogo legis caerimonialis,  
 altera excellentior, post consummatum Christum. In hac scilicet, ut habeas  
 ius adoptionis diuinae, nihil opus est, nisi ut fideliter Christo adhaereas.  
 Infimus autem eris et imperitus, si praeterea etiam legis caerimonialis  
 iugum ferendum censeas, et vocatos ex gentibus putes ad poltriam Is-  
 raelis accenseri posse non aliter, nisi suscepta et seruata illa lege. Atque  
 hoc ita est, etiamsi iustitiam a solo Christo, nempe a gratia Dei, quae  
 propter Christum obtingit credentibus, repetas, neuiquam ab ope-  
 ribus humanis. Sin vero etiam, nam is error fuit recentium Iudaeorum,  
 paedagogiam ad Christum, quae in lege caerimoniali est, ne agnoscas  
 quidem, sed legem illam tantummodo pro signo excellentiae et carita-  
 tis populi Israelitici habeas, iustificationem autem per opera humana sta-  
 tuas; prorsus a spe foederis gratiae, quod Abrahamo datum fuit, et  
 qui omnium gentium pater per et propter fidem suam constitutus est,  
 abscissus eris. Quare si homines ita affecti genus tamen naturaliter ab  
 Abrahamo ducunt, eoque gloriantur, non magis ad eos pertinet be-  
 nedictio illa foedere sancita, quam pertinuit ad Isaacem. Hinc Paulus  
 obstinatos sui temporis Iudaeos ab haereditate excludit, quippe non  
 veros Abrahamidas, quippe qui fide censeantur, sed homines in carne  
 gloriantes, ideoque expellendos, ut filios seruae, non Sarae, quoniam  
 abutentes lege Moysi seruilem veteris testamenti conditionem, et hanc  
 ipsam male detortam et perperam applicatam, praefereant Iesu Christo.  
 Contra in his, qui in Christum Iesum credunt, discrimen non amplius  
 est, ducantne genus ab Abrahamo an aliter. Hinc quia, postquam  
 Davidis tempore Hierosolyma seu Sion consecrata est, et pii Abraha-  
 midae

midae filii huius vrbs sanctae dicebantur, sed quae definit esse vrbs sancta, si Christum repudiet; Paulus veros Israelitas, nempe agnoscentes Iesum Christum, appellat filios Hierosolymae coelestis, non terrestris sui temporis, quae, conditionis seruilis cupiditate, ius filiorum Abrahami perdidit. Sed ciues etiam simul sumti ciuitas dicuntur. Quare vera Abrahami proles, quae secundum spiritum est, facit etiam catenus Hierosolymam coelestem, quia pii illi ad salutem aeternam perducuntur, et pertingunt in habitacula illa coelestia gloriosa, quae vocantur Hierosolyma coelestis, quando hoc nomine vrbs struda intelligitur. Videlicet Hierosolyma terrestis, vt vrbs Deo sacra, in qua habitaret, suumque regnum instrueret, est typus coelestis illius. Quae omnia simul sunt recte animo pensanda et comprehendenda, quando clare percipere volumus, cur Paulus Gal. IV. 27. verba Iesaiiae alleget, ad quae nunc, agedum, reuertamur.

*Prouocatur vera ecclesia Dei*, quae ex Abrahami posteris est, et metonymice, posito matris nomine pro filiis, *quasi Sara compellatur*, ad cuius solius progeniem foedus Dei cum patriarchis initum pertinebat, sed reuera ad ecclesiam Israeliticam, qualis eo tempore fuit, quo Christus passus est, sermo propheticus pertinet, et sub schemate prouocationis illius Sarae praedicatur, quid euenturum sit. Nimirum quemadmodum olim Sara sterilibus videbatur, et maritum eius habebat alia, sed cum honore recipiebat maritum, et prolem quoque numerosiorem habuit, quam Hagar, quae aliquandiu eius maritum habuerat, eaque re elata fuerat; sic res euenit similis, postquam Christus passus est. Vera enim ecclesia Israelitica, quae fide Christi censetur, videbatur prolis expers esse, sed mali homines superbiebant, qui natiuitate sua de genere Abrahami, et lege, qua abutebantur in contumeliam Christi, gloriari solebant, qui Dominum ipsum cruci suffixerant, et promti erant ad persequendos omnes, quotquot Iesum haberent Christum, et propter hoc ipsum insectabantur, quod cruce eius offendebantur. Praedicatur contra hos, religionem vere Israeliticam nunc plures mox asseclas habituram esse, quam vmquam habuerit, etiam illo tempore, quando maxime floruit. Quod gentes peregrinas possidendas accipere debeat, expresse additur v. 2. Huic ecclesiae pristinum dedecus, quo populus Israeliticus inquinatus est, siue in Aegypto, antequam assumeretur in populum peculi i Iehouae, siue posthac, vbi perfidia sua effecit, vt saepe a Deo desertus videretur, tamen non nocebit. Sed omne decus promissum ex Israelitis contemptis splendide existet, et Deus sibi quasi desponsabit ecclesiam illam, et expresse cum connotato hoc, quod agar et agnosci velit vt Deus Israelis. Notetur v. 5: *nam mariti tui* (qui coniugio sibi te copulunt) *fa-*

*Stores tui sunt* (qui te fecerunt, te sibi iungunt. Quinam ergo? in libris Moysi Iehoua et Legatus Iehouae, in quo est nomen eius, idemque ipse Iehoua Ex. III. 2. coll. XIV. 19. XXIII. 21.) *is, cuius nomen est Iehoua Zebaoth*, (Deus in opere promisso certe perficiendo versans, Dominus omnium copiarum) *et redemptor tuus, sanctus Israelis, Deus totius terrae vocabitur*. Deitas itaque Christi per totum orbem agnoscenda est. A cominate 6—10. praedicantur ecclesiae Christi passiones, sed quarum breuitas cum beatitudine aeterna securura non mereatur comparari. Sed insuper in terra quoque exiturus aliquando status prosper asseritur, quem priscarum calamitatum recrudescens vis non amplius turbet, quippe quae non magis rediturae sint, quam iterum redeant aquae diluuii Noachici, v. 9. Magna terrae mutatio contingeret, sed foedus Dei cum gente delecta nunquam falleret, v. 10. In vberiori consolatione v. 11—17. sensus est, etsi ab adflictiissimo statu incipiat ecclesia Christi, eam tamen plus gloriae habituram esse, quam templum Salomonis, ad quod spectant locutiones figuratae v. 11. 12. Dona Spiritus S. promittuntur v. 13. Prosperitas ecclesiae non armis efficitur, sed recte agendo et constanter patiando, nam Deus ipse prouidebit, quo permittente hostes mala moliantur, sed quo gubernante etiam illi pereunt, et alius perdit alium, v. 14—17.

2) Praedictioni de successu causae Christi C. LIV. superstruitur Cap. LV. *exhortatio*. Inuitantur ad beneficia Euangelii v. 1—5, ubi describitur subiectum capax v. 1. nempe quod sitias iustitiam, et v. 2. pungitur vitium illorum, qui malunt cultum Dei sumtuosum, quo implicite praedicitur, fore, qui ita affecti sint. In Christo iam impleri foedus Dauidi datum 2 Sam. VII. de regno aeterno, docetur v. 3. Quare Paulus ex hoc loco recte probat, necesse fuisse, vt Christus a morte resurgeret, vtque amplius illi numquam subiciatur Act. XIII. 34. Christus etiam gentilibus saluti erit, idque honori est genti Israeliticae, v. 4. 5. Post exhortationem sequitur *redargutio et comminatio*, v. 6—11. in quo latet praedictio de obstinatione multorum, quae ipsis noceat, sed successum operis Dei impedire non possit. Nempe resipiscendum est, dum tempus datur et gratia Dei offertur, v. 6—8. Nam longe aliud, et maius quiddam, quam putent homines, euenier. et Euangelium cum successu praedicabitur, v. 9—11. Tunc breuissime et summam indicatur, quomodo per ministerium verbi diuini, cum laetitia ministrantium incipiens, ductu prouidentiae diuinae totus terrarum orbis ad statum laetabiliorum perducatur, cuius extremum sit, vt terrae totius status florentissimus sit, idemque religioni Iehouae (quippe qui opus promissum praestet) perpetuo honori sit, nec vnumquam exstirpetur, v. 12. 13.

Sic

Sic commoda adest *transitio ad copiosorem sermonem de impedimen-  
tis honorum diuturnis*, et quomodo haec nihilo fecius, suo quodlibet  
tempore, remoueri debeant, vt praedicta regni Dei gloria obtineatur.  
Sermonem hunc continent Cap. LVI—LIX. et postremo conclusio sub-  
iungitur Cap. LX. quae patheticam recapitulationem omnium ab initio  
propositorum eo modo complectitur, qui ad animum grauiter commo-  
uendum valet; quin etiam ad bonorum futuri seculi vberiozem descri-  
ptionem protenditur. In his capitibus praecipue memores esse debemus  
praemoniti, quod supra dedimus, quod, quando in prophetiis res ge-  
renda, vel euentura, nondum quasi historice in antecessum narranda est,  
praedicata illa generalia, quae praenotari debent, *distiione tropica* insi-  
nuentur, tropi autem ipsi aequae peti possint *ex cultu leuitico* illius tem-  
poris atque *ex regno naturae*. Vtrumque genus tropice dictorum potest  
cordato admodum intelligibile esse, quod ex ipso contextu iudicari  
oportet. Vbi vero non sit expeditum, sed aenigma exhibeat, quod per  
prophetias specialiores posterioris temporis illustrandum, vel euentu de-  
mum declarandum est; caute versari oportet, vt nihil arbitrarij textui  
inferamus, attamen haec verba extenuemus, quod sit a nonnullis in gra-  
tiam *ἀνυπόστον*, quin etiam *ἀπίστων*. Sed redeamus ad continuandam  
hypotyposin textus nostri, ex qua simul patebit, quomodo vitium illud  
bene vitari queat.

Sequitur scilicet III. *praedictio de venturis impedimentis, quae retar-  
dent τὸ ἀποτέλεσμα* promissionis de glorificanda ecclesia Christi, aut po-  
tius de Deo et Christo in illa glorificando. Incedit illa plerumque sub  
schemate admonitionis vel redargutionis.

1) Exponitur, *quomodo digne Euangelio viuendum sit, sed parum di-  
gne victuri sint*, qui debeant, *potissimum qui pastores esse debeant*, quam  
ob causam transitio fit ad denuntiandum, quomodo *Deus adhibita vi malo  
remedia* paraturus sit. Cap. LVI. Nempe a) *firmiter adhaerendum est veri-  
tati et iustitiae*, et spectandum est vt *propinquum, quod Deus promisit*, qua-  
lecuque sit interiectum tempus *ὅσον ὅσον* v. 1. 2. Nominatur sabbatum,  
vt res praecipua, qua Israel sacer Dei populus erat, pro re, cuius initium  
et typus erat in sabbato, et designatur *ἀναβία* in fide et cultu vero.  
b) *Per fidem in Christum* omnis generis hominibus gentibusque *cunctis  
idem est ius accedendi ad Deum*, v. 3—7. De discrimine, quod sic cessat  
bit, vide Deut. XXIII. 2—10. Praeter sabbata etiam sacrificia nominan-  
tur v. 6. 7. sed spiritualiter intelligenda, quod non obscure iam per hoc  
notatur, quod templum tamen praecipue a precatione celebratur, ad  
quam pie ad Deum faciendam homines omnium gentium confluant.  
Quapropter Christus solummodo haec verba allegauit Matth. XXI, 13.

cui non obstat Ioh. IV. 21. vbi alia de re agebatur. Cur enim non bene vtrumque consistat, alterum quod Christus ad mulierem Samaritanam dixit, errasse haecenus Samaritas, sed nunc non amplius de praescripto loco adorationis disputandum fore, quum Pater adoretur in Spiritu, quem Christus dat, et veritate, quae in Christo est, qui vmbra loco rem exhibet, et expectationi promissionum re vere praesita satisficit; atque de Christo dici his verbis, mulier illa statim intelligebat: alterum vero, quod in vrbe sancta, quae omnium ecclesiarum mater est, magnus commeantium confluxus ex omnibus gentibus futurus sit, quo fieret, vt in templo fideles omnium gentium et conditionum Deum colerent communiter, vt eiusdem gratiae participes? c) Quando noua instat collectio Israelitarum ad iamiam collectos, inimici ecclesiae alius alium destruent v. 8. 9. *Sic inquit Dominus Iehoua (qui opus suum agit et perficit) qui congregator est dispulsorum Israelis: amplius congregabo ad illos, ad congregatos illorum. Omnes bestiae agri, venite ad deuorandum omnem bestiam in sylua.* Hierosolyma nonnunquam sylua Libani, et templum domus syluae Libani, a prophetis vocantur, propter ornatum vel luxum, ad quem in illis immensa copia ligni cedrini aliarumque arborum cararum de saltu Libani impendebatur. Excidium igitur Hierosolymae per Romanos in aenigmate prophético recte exprimeretur inuitando feras agrestes, scilicet gentiles, ad vorandas feras in sylua, perditos Hierosolymitanos. Sed similes etiam euentus contingent vltimi Antichristi tempore, et paulo antea, perdentque se inuicem malae gentes, indeque fructus ad veram ecclesiam redibit, et sigillatim in terra Israelitica, in vrbe Hierosolymitana, et huius causa, contingent clades terribiles, de quibus in antecessum non determinate dici potest, Apoc. XIV. 19. 20. XVI. 14—16. XIX. 17—21. XI. 8—13. d) Praedicatur ecclesiae *status miserrimus* propter malos antifites, imperitos, cupidos, ad luxuriam profusos, qui non mereantur pastores dici, sed canes, et inutiles quidem, v. 10—12. Propter tales tandem *maturescit mundus, vt Deus suo iudicio ecclesiae provideat*, quod quomodo facturus sit, statim amplius edisseritur.

Quamobrem 2) nunc per tria capita LVII—LIX fit *descriptio iudiciorum Dei*, qualia euenient, et *status ecclesiae perditum*, propter quem illa euenire necesse est, et *characteris resipiscantium*, quibus auxilium feretur, et qui a paucitate ad multitudinem, et ad vbertatem donorum spiritualium prosperitatemque *status externi prouehentur*. In quo sollicite animaduertendum est, personam moralem, ad quam sermo dirigitur, esse quidem ecclesiam ex Iudaeis et gentibus congregatam, et initio per Iudaeos fundatam, qui conuersos ex gentibus ad suam religionem possidendos acceperunt, vt fratres, et secum in vnum Regis Israelis populum vnitos; nam

de

de aduocandis ad communitatem Euangelii gentibus haecenus et saepe dictum fuerat: sed non minus obseruandum est, etiam Israelis secundum carnem disci rationem haberi. Nempe simul hoc quoque praedicitur, eo tempore, quo iudicia Dei consummentur, fore ex natis Israelitis, quorum conuersione ad Euangelium Hierosolyma et terra sancta Deo rursus consecrentur, et deinceps illic maneat florentissima Christi ecclesia, quae aliis late proficit. Ab illo tempore veritas vndiquaque totam terram illuminabit, eaque re Deus glorificabitur, sed vt Deus Israelis, ideoque vt Pater Iesu Christi, Ignorato enim Christo, vel male neglecto, reuerentia aliqua Dei, vt conditoris mundi, obtinere possit, sed neuiquam vt Dei Israelis, nam Israel populus sacer est Christi causa. Luculenter hoc ter indicatur, et determinatur gradatim, vt poscit ordo procedentis sermonis. Quis enim non de Israelitis proprie dictis et de possidenda terra olim sacra cogitet, si expendat, quae dicuntur C. LVII. 13: *Sed qui fiduciam in me ponit, possidendam accipiet terram, et possidebit montem sanctitatis meae.* C. LVIII. 14: *Iehoua cibabit te possessione Iacobi patris tui, quia os Iehouae locutum est.* LIX. 20: *Et veniet Sioni redemptor, et reuertentibus a peccato in Iacob.* Accedit quod sensus hic confirmatur allegatione et interpretatione Pauli Rom. XI. Nam postquam v. 25. dixerat, mysterium, quod patefacere vellet, ne sibi saperent, in eo positum esse, quod pars Israelis obdurata maneat, dum alia eius pars gentes conuertat, et cum illis coalescat, donec plenitudo gentium intret, i. e. quod restat de gentibus, quarum itidem pars initio conuertitur, sed complementum alio tempore addetur; statim subiungit: *atque sic*, i. e. hoc modo et ordine descripto, per binas has commemoratas periodos, *uniuersus Israel saluabitur, quemadmodum scriptum est* (Ies. LIX. 20. 21.) *aderit ex Sione, qui liberet, et amouebit impietates a Iacobo, et haec illis sanctio est, quam a me habent, in tempus illud, quando auferam peccata illorum.*

Iam sciagraphiam textus breuissime sic accipe. a) Indicatur tempus, quo *inusti pereant* (morte naturali vel violenta) *neque hoc curet quisquam, sed sic euadant*, et quiescant, quando difficiliora deinceps tempora ingruant, C. LVII. 1. 2. b) *Reprehenditur ecclesia perfida*, tyrannica, superbiens, hypocritica, alienis cultibus dedita, eique, quum nunc propter mala ingruentia et minitancia auxilium Dei, tamquam ipsius ecclesia, expetere audet, *per sarcasum exprobratur, quod nunc reuereri videre velit illum Deum, cuius haecenus nullam habuerit rationem*, ideoque ablegatur ad auxilium a vanitatibus suis petendum expectandumque, v. 3—13. Compellatur vt progenies adulterae et praestigiaticis, ideoque vt spuriorum colluies, neuiquam vt familia Dei, v. 3. Obseruetur hoc loco parallelissimus cum Babylone magna, quae vt meretrix poculum cum philtro

manu tenens et sanguinaria sanctorum persecutrix repraesentatur Apoc. XVII. 1—6. Apostasia a vero Dei verbo non specificè determinari poterat, ideoque cum perfidia prisca temporis comparatur, cui formaliter similis est, quomodounque differat materialiter; nam vetusta illa in admiratione et imitatione gentilium posita erat, quantum ad cultus et mores. Eodem modo in Apocalypsi superstitiones malorum Christianorum idololatria vocantur, et daemonum cultus dicitur ex iure diuino, quem peruersi homines longe aliter interpretantur, Apoc. IX. 20. Superbia malae ecclesiae sic describitur, ut simul notetur, eam meliores homines odisse ut haereticos, contemnere et subsannare, ut contemnendos, v. 4. *In quonam capitis voluptatem? super quonam disenditis os? protenditis linguam?* tamquam si vestro ludibrio et odio dignus sit, *annon vos estis filii transgressionis, progenies fallax?* Postquam dictum est, quam turpiter se det, quam humiliter et indigne se regi certo subiciat, idque quaestus causa v. 5—10: supponitur in irrisione precationis, quam nunc ad Deum dirigat, tempus calamitosum, quod adigat ad auxilium diuinum petendum, quod tamen nunc denegatur, v. 11. *Sed quonem doles, ut nunc timeas, quod mentiando simulas, siquidem mei non soles memor esse, nec me ad animum reuocare? annon ego silens sum, et ab infinito tempore? itaque me non timebis.* Haecenus sarcasmus; iam subsequitur declaratio, quomodo impietas illa, populoque obtrusa superstitio loco religionis verae, et politica versandi ratio in curando sub specie religionis lucro suo et imperio, pro merito tractanda sit, v. 12. 13. *Ego nunc palam faciam, qualis sit tua iniustitia, et quidquid fecisti et facis, nihil tibi proderit. Quando clamas, liberent te cateruae tuae collectae, sed omnes illas abiget ventus, auferet minusculum quodlibet; sed qui in me confidit, possidendam accipiet terram; possidebit montem sanctitatis meae.*

c) Declaratur, iam poenitentes ex gente, cui habemus Deus merito iratus fuerat, clementer recipiendos esse, v. 15—18. Obiectum, cui via ad prosperitatem paratur, dicitur a Iehoua *suus populus* v. 14. Quamuis ipse in caelo habitat, tamen se affirmat spectare humiles poenitentes, v. 15. Digna Christo oratio est, qui occupato coelo peragit rem tamen in terra, simulatque habiles animi sunt, in quibus antiqua promissio impleri queat. Negat, obiurgationem, quam haecenus cum malae partis interitu factam esse supponi debet, perpetuam vel nimis protrahendam esse, ne reliquiae etiam gentis pereant, v. 16. Simile quid de excidio gentis per Romanos extat Math. XXIV. 22. Post istam iram nunc sanabuntur poenitentes, v. 17. 18. *Propterea quod luri causa delinquebatur* (cupiditate rerum mundanarum, e. g. Io. XI. 48.) *iratus fui, percussi illum* (populum nempe meum v. 14.) *auerti faciem et indignabar, atque ita ambulauit refracta-*



*fractarius in via cordis sui, uti libitum illi fuit. Iam satis est, vias eius vidi, sed sanabo illum, et ducam illum, et tribuam, quod solatio fit illi, nempe dolentibus eius, quorquot dolent de peccatis.*

d) *Prædicatur inde fructus oberrimus et vniuersalis, qualem improbi illi antea memorati præstare non possunt, v. 19—21. Creo prouentum labiorum, ut cum fructu doceatur, pacem pacem, optima quæque, illi qui remotus, et illi, qui propinquus est, inquit Iehoua, et sanauit illum, i. e. postquam hunc sanauero, immensus fructus exinde proveniet. Sed improbi sunt sicut mare, quando impellitur (non quemadmodum pluuia coelitus data, terram faciens frugiferam), quæcum Euangelium supra comparabatur C. LV. 10. 11.) nam non valet tranquillare, sed propellunt aquæ eius stercus et lutum, non foecundant terram, sed coeno obducunt. Non pax est, inquit Deus meus, improbis. His dicendis innuitur, corruptissimum coetum similia molimina iridem tentasse, sed nihil boni effecisse non emendasse gentes, non verum Dei cultum in terra sancta restituisse, sed terras vbique magis corrupisse, et quasi stercore et limo obduxisse. Cogites e. g. ecquid profuerint expeditiones craciatae?*

e) *Status desperatus, quo hæcenus fuerit populus, qui se populus Dei haberi voluit, copiosus describitur, C. LVIII.—LIX. 8. Utile hoc est ad inceptam contritorum poenitentiam amplius purificandam et perficiendam, et ad excitandos plures, qui nonnihil commoti sunt, sed hæsitant, an tallium poenitentium exemplum tuto sequi possint, qui tamen a receptis doctrinis et institutis ecclesiae suae, quæ heredita est rectissime sentire, et ipsa antiquitate inuictam habere auctoritatem videri potest, secessionem faciant, ipsique nouum et incredibile prorsusque inusitatum auxilium Dei in sua causa expectent. Sermo dirigitur ad populum Dei, et ad domum Iacobi, quod pro consueta Ebraeis exergasia haberi posset. at tamen non necesse est ita accipi, quia alterum quoque altero specialius esse potest, quæ loquendi ratio Ebraeis pariter vsitata est, et supplendum est aduerbium opportunum, quippe quod plerumque ellipse omittitur, v. g. *sgillatim, potissimum.* Iam quidem communitas viriorum, quæ taxantur, suadet sententiam intelligere de quibuscunque, ad quos quadrat, nempe de vniuersis, qui populus Dei secundum Scripturam si haberi volunt, ideoque inde a sanctione Sinaitica. Perinet ergo ad Christianos, quippe qui agnoscunt, scopum Moïsi et Prophetarum esse Christum, seque sentiant esse Israellem Dei secundum Spiritum, qui ab illis, qui impletam spem patrum in Iesu Christo percipiebant, Euangelium acceperunt, et vnus Christi populus cum illis facti sunt. Sed spectat et *Israelitas* proprie dicendos, qui se ex illo tempore, quo Samaritæ adfectabant genus ducere ab Israele, omnes appellant *Iudæos*, sine tribuum discrimine;*

nam

nam illi non desunt sibi arrogare honorem peculii Dei, et aemulatione inuidiosissima Christianos oderunt. Interim quoniam de spe, quae genti ex libero Dei decreto superest, etiam Christiani plerique parum instructi sunt, quinimmo eam variis de causis, quae modo tolerabiles modo peiores sunt, inficiantur; non superfluum est, in sermone Dei per prophetam tali tempore Israelitas nominatim memorari, C. LVIII. 1: *clama gutture toto, vocem ne colibe; instar tubae effer vocem tuam; et indica populo meo vniuerso transgressionem suam, et sigillatim domui Iacobi peccata sua.*

Quod *grauissimum* est in peccatis opinati populi Dei, in eo ponitur, quod se propter cultum electitium et externum ipsi iustificent, et hypocritae sint. Exempli loco ieiunia allegantur, v. 2. 3. *Hypocriti huic duo opponuntur ordine egregie reali*, et post cuiusque commemorationem inculcatur beneficium in speratum, quod per posteros Iacobi, et in terra sancta, exhibendum sit. *Alterum* requisitum est *benignitas* et *Φιλανθρωπία*, qua ostenditur fides in recte sentientibus, et qua paratur via ad meliorem instructionem recipiendam in errantibus, v. 4—12. Vbi notetur, quod v. 12. per respicientes dicto modo, melior ecclesiae status vniuersae perficiendus praedicitur. Heu, quam oppositus virtuti huic est status Romanensium, cum sua violentia, inquisitione, persecutionibus! et Iudaeorum, cum suo odio generis humani, maxime Christianorum, et cum sua tanta malitia, vt post excidium per Romanos, nullum regnum audeat, quemadmodum olim cum laude gentis factum est, Iudaeos militiae adhibere, reipublicae administrandae admouere, vel liberam illis rempublicam concedere! *Alterum* requisitum est *praecisa observatio religionis proprie reuelatae*, ad quam designandam exempli causa sabbatum memoratur, quippe quod praecipua pars cultus fuit, quo Israel sanctificabatur, et populus sacer ostendebatur Ex. XXXI. 13. Ezech. XX. 12. 20. Notatur autem, quod, quidquid fiat religionis causa, non modo externe seruari, verum etiam Deo vere sacrari, necesse sit, nec religio ad libidinem et quaestum hominum transferri debeat, v. 13. 14. Vbi rursus obseruetur, respicientibus nunc excellentiam et tranquillam haereditatis Iacobi possessionem promitti v. 14. E contrario causa malorum, quae hactenus obtinuerint, negatur in eo inesse, quod Deus vel nequeat vel nolit magnalia priscis similia edere, sed ynice ponitur in mala et nocentissima doctrina, et vita pessima, LIX. 1—8.

f) *Promissio bonorum*, quae post talem ad Deum conuersionem respicientibus euentura sunt, *confirmatur et luculentius declaratur*, LIX. 9—21. Vbi attendendum est ad schema orationis, per binas partes incedens, Nam primum ponitur *sermocinatio poenitentium*, et hi loquentes inducuntur, quomodo eos loqui decet v. 9—14. Deinde *vis describitur, quam*

Deus

Deus ipse ad mala systemata rerum tollenda efficiendumque statum meliorem adhibebit, v. 15—21. Quo simul sumto efficitur, quod vna propositione summam dictum fuerat C. LVIII. 12. per respicientes hos rem ecclesiae restituendam, ampliandamque esse, et ad fastigium prosperitatis mansurae pertingere.

De re, quam Deus geret et perficiet, varia notatu digna obseruanda sunt. Nimirum status corruptus ita depingitur, vt *causa Christi etiam a magistratibus et antisitibus deserta* sit, ita vt mirandum stupendumque sit, v. 15. 16: *Quia igitur veritas submota est, et qui a malo recedit se ipsum spoliat*, et honorum suorum iacturam facit; *intuetur Iehoua, et displicet illi, quod nusquam sit iudicium, nihilque recte fiat. Et videt, quod nemo quisquam sit, et obstupescit, quod nemo occurrat.* Quamobrem nunc non amplius tolerantia et longanimitate vretur, sed vnica bonae causae spes in eo superest, quod Deus hostes veritatis sua ipsius vi supprimet, v. 17. 18: *Et induitur iustitia, quemadmodum lorica, et galea salutis in capite eius est, et amicit se vestibis vltoris pro vestitu*, etsi alioqui non ita vestiri solet, et tegitur pallio zeli; *tamquam qui veniat retributionum causa, tamquam qui ad hoc veniat, vt retribuat, aestum irae hostibus suis, retributionem inimicis suis: potissimum maritimis terris (אִיְלִים) insulis, peninsulis, terris mari adiacentibus) retributionem retribuet*, has imprimis pro merito tractabit. Quare Christus vindex in viso prophético sic exhibetur Apoc. XIX. 11 etc. Per אִיְלִים insulas, rectus terras ad mare vel in eo positas, dubitari non potest, maxime Europam intelligi, vt magnae terrae continenti, Asiae, contradistinguatur. Porro per plagas mundi determinatas, ordinemque, quo res gerenda sit, clare patet, designari aliquid, quod etiamnum futurum est, et nequaquam conuenit Iudaeis in terram patriam reuertentibus regnante Cyro vel Artaxerxe. Tunc enim ab occidente nihil illustre accidit, sed hoc in textu nostro primo ponitur loco, et quidem Deus glorificandus est in strage hostis, qui ab occidente versus Hierosolymam veniat, sed contra quem Deus vexillum erigat, id est aciem instruat, idque eum salute Sionis, quae ab hoc tempore perpetua erit, et praecipue insignibus Spiritus S. donis inclarescet. Fontes ipsi inspiciendi sunt, nam in parte insigni v. 19. versio Lutheri discrepat. Sic nempe extat v. 19—21. *Et reuerbuntur ab occidente nomen Iehouae, et ab ortu solis gloriam eius: quando instar fluminis (Euphratis inundantis) veniet hostis (sic veniet ab occidente cum sociis suis Antichristus vltimus, vti alias constat Dan. XI. 42—45. Ap. XI. 7. 8. XIV. 20. XVI. 16. XIX. 17—21.) Spiritus Iehouae signa (bellica, seu vexilla) erigit in illum. Et adert Sioni redemptor, et qui a peccatis conuertuntur in progenie Iacobi.* (Quae verba a Paulo citari, et de bonis adhuc futuris exponi, iam supra notauimus, Rom. XI.

26.) *Et quantum ad me, nihil sic facio, quod non expectari debuerit, hoc est foedus meum cum illis, inquit Iehoua, Spiritus meus, qui super te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo et ab ore sobolis tuae et ab ore sobolis sobolis tuae, inquit Iehoua, ab hoc tempore et usque in sempiternum.*

Claudit totum sermonem Caput LX, et pro dignitate tractati argumenti recapitulatione pathetica vtitur, quae ad animum laete commouendum valet, atque etiam ad hortandum et de bonis aeternis, quae descriptorum in terra bonorum continuatio et consummatio sunt, vberius instruendum transfertur. Notemus partes eius breuiter. 1) *Excitantur homines ad acceptandum Christum cum animi conuersione vera et integra, v. 1. 2.* Duo verba priora *קוּם וְאֵרָא* surge, luce, alterum conditiones ex parte hominis, alterum spem obtemperantium, exprimunt. Sic ipse Paulus interpretatur Ephes. V. 14. *διὸ λέγει ἐγείραι ὁ καθεύδων καὶ ἀνάσαι ἐν τῶν νεφελῶν*, h. e. *קוּם* surge, siue torpens sis et dormitans, siue spiritualiter mortuus, nam vtrique tali excitatione compellendi sunt, *καὶ ἐπιφάσεις σοι ὁ Χριστός*, h. e. *אֵרָא* luce. Lux Christus est, quo recte cognito per eius vim illuminamur, et Christo nobis adfulgente ad eius similitudinem transformamur 2 Cor. 3, 18.

2) *Euangelium a gentibus acceptabitur magno hominum numero, et obedientia tam prompta, ut possessiones suas, quidquid habeant pretiosi, libenter religionis causa impendant. v. 3—7.* Quod de communi fide in Christum, qui est lux Sioni orta, agatur, initio verbis propriis docetur v. 3. Deinde, quia acceptatio religionis Sioniticae facit *τὰ ἔθνη σύσσωμα*, et concorporat cum Israele Dei, seu filiis Sionis, id quod Israeliticae genti honori est, comparatur illa cum confluxu filiorum Sionis in festis, quando ad solennem fidei in Iehouam professionem et communem adorationem ad sacrum palatium Sancti in Israele, quod Hierosolymis erat, vndiquaque conueniebant. Scilicet dum gentes sic confluxurae dicuntur, repraesentantur vt veri Sionis filii et religionis Sioniticae participes, quales, postquam Christus venisset, esse debebant. Nemo, cui opes erant, in festis vacuus comparebat, Deut. XVI. 16. Diuites sacrificia eucharistica amplissima ferebant, e quibus sacrae fiebant epulae, quibus pauperes gratis adhibebantur, vt communis omnium laetitia esset coram fede maiestatis Iehouae, vt Regis Israelis. Similiter gentes eius temporis notiores nominantur, et bona, quae terrae cuiuslibet praecipua sunt, eaque libenter ab illis pro Euangelio infusum iri, praedicatur. Sistuntur v. 4. quasi agmina vndiquaque et eminens venientia, duplicis quidem generis, virorum alterum, alterum mulierum, quae separato agmine proficiscebantur, ne in mixto agmine castitati periculum existeret, atramen prope a latere agminis virorum, securitatis causa, vt ab his defendi possent,

sent, vbi opus erat, v. 4: *Effer circumcivca oculos tuos et vide, omnes illi congregantur, veniunt tibi*, cum honore et gaudio tuo, *fili tui e longinquo venient, et filiae tuae ad latus firmier erunt*. Affectus v. 5. describitur, quo pii Israelitae talem eventum visuri sint, qui in magno et inopinato gaudio post dolorem et abiectionem fere spem, et in re, vbi propinqua et specialis Dei operatio se exerit, aliter concipi nequit, quam vt a percussione mens ad laetitiam procedat, quod etiam ita vere contigisse docent specimina in actis Apost. narrata, e. g. Act. XI. 18. XIV. 27. *Tunc reuerentiae sensu afficeris et nichis vultu, et pauebit et dilatabitur cor tuum, quando ad te se vertet multitudo maris, e gentibus ad mare mediterraneum sitis, et quando qui robur gentium sunt, veniunt tibi*. Exempli causa nunc appellantur gentes cum bonis cuiusque terrae, quae propriae illi erant, vel quorum affluentia quaelibet nota erat. Sic memorantur cameli et dromedarii ex Midian et Ephas; quod Schebaei omnes venturi sint, (non modo regina, vti Salomonis tempore I Reg. X.) aurum et thus allaturi, quod Kedareni et Nabathaei greges ouium adducturi Deoque in sacrificium placens oblaturi sint v. 6. 7.

Satis sic erat dictum. Specialiora et magis determinata tempori noui testamenti reseruata erant. Errabant initio rei Christianae, qui, quum ipsimet Iudaei essent, putabant, gentes ad Christum conuertendas imbuendas etiam ritibus et moribus illorum esse, ita nempe, vt Israelitae post aduentum Christi ampliarentur et honorarentur ea re, quando gentiles omnes profelyti eorum fierent, vtentes eadem cum illis circumcissione, eodem ciborum discrimine et delectu, sabbatis, festis, sacrificiis, iisdem. Praeposterum profecto fuit tale iudicium. Quum enim multa dictionibus figuratis impropriisque a prophetis praedicantur; annon aequiualens, sed melius quidpiam, pariter sub schemate e cultu sui temporis desumpto praenotari potuit, quemadmodum per multa schemata perunt ex regno naturae, et gentes sui temporis pro similibus aetatis futurae nominant, nemine in talibus loquendi modis haesitante? Item Moses, quando, quae de meliore mediatore, quam ipse fuit, in monte Sinai acceperat, fideliter tenenda commendat, et inculcat, cauendum esse, ne, quidquid per venturum illum legatum Deus edicat, vlla ex parte audire detrectent Deut. XVIII. 15 etc. hic, inquam, Moses an censendus erat, mandatum de perpetuitate legum ritualium opposuisse mandatis Dei per Christum edicendis, et non potius partim constitutionibus temporariis, quae in itinere et commoratione in deserto obseruandae fuerant, partim mutationibus, quae humano arbitrio tentarentur? Attamen res in suspensio relicta erat, donec per Christum et Spiritum Christi decerneretur. Nam Paulus etiam agnoscit et fatetur, in aliis hominum aetatibus ignoratum fuisse mysterium, quod tunc per Spiritum S. palam factum erat, quod gentiles sola fide in Euangelium cum fidelibus Israelitis ad vnum Christi corpus mysticum redigerentur Ephes. III. 5. 6. Itaque olim Israelitae, conuertendas et sibi sub Christo vniendas esse gentes, certo sciebant, de modo autem, quomodo vniendae sint, instruendi specialius erant, quum Christus venisset.

3) *Quae de gloria ultimi et adhuc futuri temporis dicta erant, pari ratione splendida pictura iterum sistuntur, v. 8-13.* 4) *Vis gloriae promissae in suo ambitu simul consideranda proponitur, v. 14-22.* Atque iam natura rei poscebat, vt ad ipsam aeternitatem sermo extenderetur, quod bello sit ordine et satis perspicuo. Scilicet primo decus religionis Christianae, id est Iesu Christi, vt Regis Israelis, ea re illustrandum proponitur. Videlicet quando gens inuisa et diutissime neglecta restituitur cum interitu malorum Christianorum, et cum pernicie tyrannidis et profanitatis inter illos ipsos, qui Christiani dicuntur, quosque ferme pudet originis suae, quod

quod Israeliticam religionem habere dicantur; Deus vt Israelis Deus agnosceretur, v. 14-16. Ex magnitudine autem bonorum praeter spem plerorumque euenientium, atque ex longe alio rerum statu, quam *imaginariorum* possibilem duxissent, sed qui verubilissimis praedictionibus respondeat et satisficiat, veritas canonis sacri luculentissime confirmabitur. Et quamquam in artibus extenuandi sensum praedictionum propheticarum interpretes diu ingenium exercuerunt, profani autem rei illuserunt; veritas tamen religionis reuelatae, vt in sacris bibliis extat, et ad promissiones post Adamum Abrahamo datas vniuersa reducuntur, fere in oculis incurret, v. 16-18.

Deinde proceditur ad aeterna futuri seculi bona v. 19-21. quod mirum videri debet nemini. Nam eadem Sion (quae ex C. LIX. 20. semper in memoria retinenda est) ex quo consecrata est vt sacrosancta sedes throni Iehouae inter populum suum, quod contigit Davidis aetate, et splendidius consummatum est exstructo per Salomonem templo, typum habuit anagogicum, et imago est habitationis Dei gloriose in beatorum systemate aeterno, quod propterea vocatur Hierosolyma coelestis. Quare quemadmodum vniuersae bona ecclesiae promissa extenduntur ab ecclesia militante ad triumphantem; sic quoque habitatio Dei in sua ecclesia ab initio rei. Hierosolyma itaque, de qua haecenus dictum fuit, gloriam illius praecipuam extremo mundi tempore reseruatum esse, ad gloriosissimum honoris fastigium pertinet in nouo et aeterno rerum systemate, quod conderetur post consummatum iudicium extremum. Consentit cum nostro textu eumque dilucidat Apocalypsis I. C. in qua spes fidei triumphantis statim ab initio libri Apoc III. 12. ponitur in Hierosolyma illa, quae coelitus in terram venit, et sub finem post visos ab Apostolo nouos coelos nouamque, quae conderetur, terram descendens illa coelestis Hierosolyma, vt sedes maiestatis Dei et Christi inter homines habitantis, vere illi ostenditur, phrasae autem adhibentur, quae ad hunc Iesaiiae textum respiciunt Apoc. XXI. XXII. Apparet simul, Sionem seu Hierosolymam nouam, cum terra noua non magis idem esse, quam vetus Hierosolyma idem fuit cum terra Israelitica. Est enim sedes throni Dei et Christi in noua terra, ad quam huius incolae stato ordine veniant, sed quae sua gloria omnes nouae terrae partes longissime antecellat. Quamobrem haec vrbs non eget lumine solis vel lunae v. 19. 20. ciues autem eius eminent inter omnes perfectione, atque etiam dominatione in subordinatos sibi attributos. Quanta maiestas est igitur in commate vltimo, quod ipsa demum aeternitas declarabit: *qui exiguus est, erit in millenas, et qui parvus est, erit in populum robustum. Ego Iehoua in tempore cuiusque celeriter praestabo vniuiquodque.* Redit finis orationis vnde coeperat C. LII. 13. *Ecce feliciter rem peraget seruus meus.*

Sed haec haecenus. Superest, vt indicamus orationem solennem, qua praeter sacra festi consueta, diem resurrectionis Domini nostri, Iesu Christi, in aede academica Paulina celebrare solemus. Orator, qui huic functioni se sponte et laudabili exemplo obtulit, est V. CL. IO. GEORGIUS ECCIUS, Philosophiae in hac academia Professor publicus extraordinarius, qui *insigne Theologiae praestantiam graui doctoque sermone perorabit.* Ad quem beneuole audiendum vt hora XII, audita conueniant, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, *ciues nostros generosissimos nobilissimosque, omnes denique vniuersitatis literariae sanctores, humanissime inuitamus.* P. P. Lipsiae Festo Paschatis A. N. C. MDCCCLXXXIII.

Fe 3031


S

N.C.









D. CHRIST. AVG. CRVSI  
GNOMON  
A D  
PROPHETIAM  
DE  
SUCCESSV OPERIS DEI  
PER CHRISTVM

PRIMO HVMIATVM, DEINDE

EXALTATVM

IES. LII. 13 — LX. FIN.

PROGRAMMA PROPOSITVM IN ACAD. LIPS.

FESTO RESVRRECTIONIS DOMINI

CICICCLXXIII.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.